

Jg.
1508

F. H. S. E. 2

NATIONAL BUREAU OF

WEIGHTS AND MEASURES

IN THE DISTRICT OF COLUMBIA

REPORT

ON THE

PROGRESS

OF THE NATIONAL BUREAU OF WEIGHTS AND MEASURES
DURING THE YEAR 1884

BY
JOHN W. COCHRAN,
CHIEF OF BUREAU

WASHINGTON: GOVERNMENT PRINTING OFFICE

1885

NO. 1

1885

1885

1885

1885

1885

1885



T H E S E S
R A T I O N I H U M A N A E
I U S T A M
I N R E R U M D I V I N A R U M C O G N I T I O N E
A U C T O R I T A T E M
A S S E R E N D I C A U S A
P R O P O S I T A E

Q U A S

B. C. D.

C H R I S T I A N U S G O D O F R. S C H Ü T Z

E L O Q U E N T I A E E T H I S T. L I T E R A R. P R O F. O R D.
I N A C A D E M I A F R I D E R I C I A N A H A L E N S I E T V I T E B E R G E N S I
C O N S O C I A T A

S I M U L

A M P L I S S I M O P H I L O S O P H O R U M O R D I N I
C O L L A T O R U M S I B I A N T E H O S L A N N O S
P H I L O S. D O C T O R I S E T L L. A A. M A G I S T R I
H O N O R U M R A T I O N E M R E D D I T U R U S

A. D. XXI. MARTII MDCCCXVIII

H O R. X.

I N A U D I T O R I O M A I O R I

D E F E N D E T

A S S U M P T O S O C I O

C A R O L O G E O R G I O I A C O B

S E M I N A R I I R E G. P H I L O L. S O D A L I.

1897/8: 9/18/9

H A L A E

T Y P I S L E O P O L D. B A E N T S C H I I.

3 2 3 2 1 7

STADT HALLÉ

1851

VERLAG VON H. W. SCHULZE

LEIPZIG

VERLAG VON H. W. SCHULZE

LEIPZIG

KOEN. BIBL.
BER
UNIVERS.
HALLE.

Universitäts- und Landesbibliothek
Sachsen-Anhalt



Quum nuper in manus venisset libellus ita inscriptus

BITTERE ARZNEY FÜR DIE GLAUBENS-
SCHWÄCHE DER ZEIT. *Verordnet von*
Hrn. CLAUS HARMS, Archidiaconus an
der Nicolaikirche in Kiel, und geprüft von
dem Herausgeber des Magazins für christ-
liche Prediger, (quem constat esse V. R.
Ammonium Theologum et Sacrorum su-
preum Antistitem Dresdensem)
miratus sum, quid esset, quod vir doctissimus
in Thesibus ab Harmsio propositis *) vim quan-

*) Prodierunt hoc titulo: [*Das sind*] die 95 Theses
oder Streitsätze Dr. Luthers theuern Andenkens.
Zum besondern Abdruck besorgt, und mit andern 95
Sätzen, als mit einer Uebersetzung von Ao. 1517. in
1817, begleitet von Claus Harms, Archidiak. an der
Nicolaikirche zu Kiel.

dam medicamenti, et amari quidem medicamenti reperisse sibi videretur. Equidem in iis amari nihil, multa vero fatui et ignavi saporis inveneram. Cui quidem meo iudicio ut minus diffiderem, lectio effecit epistolae Schleiermacheri Theologi Berolinensis clarissimi, ad Ammonium scripta *), cui accessit alius libellus bonae frugis plenus, a Maertensio Ecclesiaste Halberstadiensi viro doctissimo editus. **) Et Schleiermacherus quidem non magis facete quam vero scribendi genus, quo usus est Harmsius in The-sibus suis concinnandis his verbis deformavit: *Diese Thesen mit ihrem Hin- und Herfahren über gemeinsame Gebrechen und locale, über Nahes und Fernes, über dem Verfasser Bekanntes und Unbekanntes, mit ihren halb-wahren Orakelsprüchen, und ihren die Mühe nicht lohnenden Rättseln, mit ihrem bunten aus verschiedenen Manieren gemischten Stil,*

*) An Herrn Oberhofprediger D. Ammon über seine Prüfung der Harmsischen Sätze von D. F. Schleiermacher, ö. o. Lehrer der Theologie an der Universität zu Berlin.

**) *Protestation wider den Bannstrahl, welchen der Hr. Archidiaconus Harms gegen die Vernunft und das Gewissen schleudert, von Karl August Märrens, Oberpred. an der Martinikirche zu Halberstadt.*

mit ihrem Haschen nach Schimmer und Witz, haben auf mich gar wenig Eindruck gemacht, als das Bedauern zu sehn, das der Verfasser, der sonst schon so viel Schönes hervorgebracht, sich hier übereilt und fehlgegriffen habe. Wie Blitze sind sie mir gar nicht vorgekommen, die doch immer, wenn sie auch nicht wirklich zünden, die Kraft haben einzuschlagen und zu zünden, sondern wie Raketen, von denen die meisten theils nicht steigen wollen, theils zu früh platzen, und nur wenige ihren Lauf schön und regelmässig vollenden; aber auch die sind denn doch nur ein vergänglichliches Lustfeuer! Itaque quum Harmsius in primis hoc egerit, ut rationis humanae in rebus divinis cognoscendis et iudicandis dignitatem et auctoritatem laederet ac deformaret, equidem utar hac scribendi occasione oblata, ut quae ad eam defendendam pertineant aliquot thesibus comprehendam, non quo ipse me novum aliquid allaturum esse putem, sed ut ea quae praestantissimi aevi nostri theologi et philosophi de ea re disseruerunt, quaeque mihi non confirmarunt solum, sed plane persuaserunt, tanquam in tabula proponam.

I.

„Esse praestantem aliquam aeternamque naturam et eam suspiciendam admirandamque hominum generi pulchritudo mundi, ordoque rerum caelestium cogit confiteri. Quamobrem, ut religio propaganda etiam est, quae est iuncta cum cognitione naturae, sic superstitionis stirpes omnes eiiciendae.“ Verba sunt Ciceronis de Divinatione lib. II. c. 72. quibuscum plane consentit Paulus Apostolus ep. ad Rom. 1, 19. sqq. *Διότι τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ Φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς, ὁ Θεὸς γὰρ αὐτοῖς ἐφάνερωσε· τὰ γὰρ ἀόρατα αὐτοῦ ἀπὸ κτίσεως κόσμου, τοῖς ποιήμασι νοούμενα καθαράται, ἢ τε αἰδίες αὐτοῦ δύναμις καὶ θεϊότης, εἰς τὸ εἶναι αὐτοὺς ἀναπολογήτους.*

II.

Huic sententiae ut assentiamur, non Ciceronis, non Pauli auctoritate adducimur, sed quod rationi convenit, qua nihil melius est humano generi a deo datum; „per quam consequentia cernit, causas rerum videt, earumque progressus et quasi antecessiones non ignorat, similitudines comparat, et rebus praesentibus adiungit, atque annectit futuras.“ Cic. de off. I. 4.

III.

Sed hanc rationem deus humano generi non ita tribuit, ut statim ab eius initio perfecta esset et absoluta, sed parvos eius igniculos dedit, qui sensim labentibus seculis, ventilante doctrina, exardescerent, sive, ut alia similitudine utamur, semina quaedam exigua, sensim excolenda et propaganda, e quibus varia multorum seculorum cultura, multiplicium errorum pravarumque opinionum calamitatibus obnoxia, stirpes tandem firmiores salubriumque fructuum altrices emergerent. Et quod sapienter et ornate Virgilius (Georg. I. 121.) de agricultura dixit, apte potest ad lente progredientem rationis culturam accommodari:

Pater ipse colendi

*Haud facilem esse viam voluit, primusque per
artem*

Movit agros, curis acuens mortalia corda

Nec torpere gravi passus sua regna veterno.

IV.

Quae igitur homines progrediente rationis cultu de summi numinis natura, ac de officiis et virtutibus vere intellexerunt, de iis, quoniam ipsam rationem deo summo rerum omnium opifici debemus, ita existimandum est, quasi es-

sent ab institutione divina, quam revelationem dicunt, profecta.

V.

Ac si quis inter homines existat, qui se divino quodam instinctu afflatuque oracula de rebus divinis fundere dicat, ei nemo, nisi stulte credulus fuerit, obtemperare potest, nisi quae ille dixerit, aut scripserit, ad rationis suae normam tanquam ad obrussam exegerit. Nam si nobis occurreret fabulosa illa Fauni uxor Fatua, quae (Iustino narrante lib. XLIII. c. 2.) *assidue divino spiritu impleta, velut per furorem futura praemonebat*, nisi ipsi desiperemus, quinam esset ille divinus spiritus, ratione nostra et iudicio exploraremus.

VI.

Quae quum ita sint, si quis vel ipse revelationem divinam accepisse sibi videatur, vel alium, qui eam nactus sit, deprehendisse, ei fides non est adhibenda, nisi certissimis signis constet, deum suoapte instinctu iis quaedam aperuisse, quae vel omnino non, vel non aequè commode via rationis a deo humano generi praescripta potuissent reperiri.

VII.

Itaque ne libri quidem Christianorum sacri defugere possunt rationis et iudicii disquisitionem, ut liquido nobis constet, quatenus et quo iure divinam auctoritatem vel ipsi sibi vindicent, vel alii iis tribuerint. Et hoc ipse Paulus praecepit 1 Thessal. V, 19. 20. προφητείας μὴ ἐξουθενήτε, πάντα δὲ δοκιμάζετε, τὸ καλὸν κατέχετε. Quo de praecepto Harmsius ita pronuntiat: *Der so hoch belobte Wahlspruch 1 Thess. 5, 19. „Prüfet Alles und das Beste behaltet!“ wird fälschlich von freyer Prüfung des biblischen Glaubens verstanden.* Quid potest esse ineptius? Idem enim est ac si diceret: Paulus quidem nos iubet *omnia* examinare, neque tamen hoc ita intelligendum est ac si voluisset nos *omnia* examinare. Nihil simile vidii nisi forte S. Bernardi Clarovallensis commentum, qui quum vellet regulam Benedicti suis monachis praescribere, hactenus tamen ut quum Benedictini *atris* cucullis uterentur, suos mallet *albis* vestiri, dixisse fertur: S. Benedictus monachis suis *atros* cucullos imperavit, id est, *albos*.

VIII.

Lutherus, vir immortalis memoriae quum a pontificum decretis eorumque imperiosa tyran-

nide ad sacram scripturam provocaret, nihil aliud agebat, quam ut rationem humanam foeda servitute oppressam in libertatem vindicaret. Ut enim recte quis uti possit libris codice sacro comprehensis, multa linguarum quibus illos conscriptos habemus cognitione, multa antiquitatis et historiae, tum Iudaeorum, tum veterum Christianorum scientia, praeterea criticae artis facultate et ingenio ad philosophiam ex-culto opus est. Itaque Lutherum recte possumus rationis in rebus divinis cognoscendis patronum appellare, quamvis interdum iudicandi temeritati infensus, vehementia quadam animi abreptus sit, ut veram rationis dignitatem imminuere videretur.

IX.

Tantum igitur abest, ut libri qui dicuntur symbolici, velut Augustana confessio, aut Formula Concordiae progressum rationis humanae impedire, aut certis dogmatum in iis propositorum vinculis constringere potuerint, ut postea potius coniunctis Theologorum et Philosophorum studiis, h. e. accuratiore linguarum veterum, notitia, artis criticae et hermeneuticae novis subsidiis, historiae ecclesiasticae et philosophicae monumentis diligentius exploratis,

denique adhibitis rerum naturalium scientiae novis incrementis multa melius et verius constituta sint. Neque tamen novis his post Lutherum doctrinae theologicae accessionibus ipsis Lutheri et sociorum in reformanda Ecclesia meritis quicquam decedit. Absque eorum fortissimis felicissimisque conatibus tyrannidis Pontificiae iugum excutiendi, ne libertas quidem theologis nostrae et superioris aetatis de rebus divinis disputandi, opinionesque impotenti hierarchiae nutu atque arbitrio consecratas refutandi constitisset.

Qua de causa dignus est qui legatur libellus *Eckermanni*, Theologi Kiloniensis clarissimi: *Erinnerungen an den unvergänglichen und unschätzbar grossen Werth der Reformation Luthers. Zum Andenken und für Beförderung der frohen dritten Säcularfeyer derselben*; inprimis p. 95 - 100.

X.

Itaque novis hisce studiis effectum est, ut mythicae, quae in compluribus libris sacri codicis occurrunt narrationes ab historicis discernerentur, ut typorum quibus olim in V. T. Christi historia adumbrari fingebatur, vanitas abiiceretur, ut origines Evangeliorum diligentius

indagarentur, ut quae ipsius Iesu Christi effata essent, ab Apostolorum additamentis seiungerentur. Iam igitur firmissimis argumentis Theologi docti pariter atque ingenui evicerunt Athanasiani de trinitate in deo dogmatis nullum in libris N. T. certum vestigium inveniri; eorundem eruditione et sagacitate doctrinae de satisfactione Christi vicaria, de praedestinatione, de peccati origine, de hominum statu post mortem exspectando ita correctae sunt, ut multo maior quam antea sanae rationis consensus cum praeceptis Christi et Apostolorum recte intellectis enituerit.

XI.

At enim Harmsio placuit Thesi tertia sic pronuntiare: *Mit der Idee einer fortschreitenden Reformation, so wie man diese Idee gefasst hat, und vermeintlich an sie gemahnt wird, reformirt man das Lutherthum ins Heidenthum, und das Christenthum aus der Welt hinaus.* Bona verba quaeso! Cui unquam sanae mentis Theologo in mentem veniat fictitia paganorum numina, deos deasque quasi postliminio revocare? Quis unquam audebit sanctissima Christi et Apostolorum de officiis et virtutibus decreta impugnare, i. e. Christia-

nam religionem ex orbe terrarum proscribere?
 At qui putat magnum Christianae religionis mo-
 mentum in eo versari, ut narrationi de Christi
 nativitate miraculosa fides adhibeatur, is cogi-
 tet velim, quanta seges opinionum vanarum et
 superstitiosarum ex una hac narratione in eccle-
 sia Christiana pullulaverit, doceatque quid in-
 tersit inter illam et fabulosam de Romulo et Re-
 mo ex Marte et Rhea Silvia natis narrationem?
 Danda scilicet est venia antiquitati, si humana
 miscendo divinis primordia civitatum vel reli-
 gionum augustiora facere conata est; non ta-
 men ideo sunt reprehendendi, qui meliora edo-
 cti *veteres avias* (ut Persii dicto utamur) *sibi*
de pulmone revellere didicerunt.

XII.

Sed Harmsius rationi humanae adeo inimi-
 cus est, ut eum non piguerit ista scribere:

Thes. IX. *Den Pabst zu unserer Zeit, un-
 sern Antichrist, können wir nennen in Hin-
 sicht des Glaubens die Vernunft, in Hinsicht
 des Handelns das Gewissen (nach ihrer bei-
 der, ihnen gegebener Stellung gegen das
 Christenthum, Gog und Magog, Offenb. 20, 8.)
 welchem leizten man die dreyfache Krone auf-*

gesetzt hat, die Gesetzgebung, die Belobung und die Bestrafung.

Ad rationem quod attinet, nihil fieri potest ineptius, quam eam cum Pontificum Romanorum tyrannide a Luthero impugnata comparare. Illorum enim imperio rationem in servitutem assertam esse constat, ita ut nemini liceret de rebus divinis aliquid statuere, nisi quod curiae Romanae placuisset. Quid! quod eo processerant insaniae et insolentiae, ut Galilaeum de Galilaeis, virum summum, veram de conversione telluris circa solem sententiam cogere abjurare. Itaque qui rationi bellum indicit, is aut fanaticus est, aut certe verae pietatis et religionis adversarius. Paulus enim apostolus ipse Rom. XII, 1. τὴν λογικὴν λατρείαν commendat; vultque Christianas δοκιμάζειν τί τὸ θέλημα Θεοῦ. Quomodo autem quis, nisi sana ratione utatur, explorare et iudicare possit, quae sit divina voluntas, nemo unquam dixerit.

De conscientia vero quis ita statuerit, ut ei ius legum ferendarum et ius puniendi tribuerit equidem fateor me ignorare, vellemque Harmsius nominasset huius opinionis auctorem, ne videretur cum umbra ab ipso conficta pugnare.

XIII.

Sed multo sunt admirabiliora quae Harmsius nobis narrat Thesi XIV.

Die Operation, in Folge deren man Gott vom Richterstuhl herab und jeden sein eignes Gewissen hinauf hat setzen lassen, ist geschehen während keine Wacht in unserer Kirche war.

Nos quidem neminem recordamur, qui deum optimum maximum summum humani generis iudicem esse negaverit. Sed quum nemo deum quasi in tribunali sedentem possit aspicere, unusquisque hominum actiones suas, cum lege divina, quam agnovit, comparet necesse est; ideoque eum conscientia bene factorum exhilarabit, male factorum terrebit. Sapienter Cicero orat. pro Roscio Amer. c. 24. *Nolite enim, inquit, putare quemadmodum in fabulis saepe numero videtis eos, qui aliquid impie scelerateque commiserint, agitari et perterrerifuriarum taedis ardentibus. Sua quemque fraus et suus terror maxime vexat, suum quemque scelus agitat, amentiaque afficit, suae malae cogitationes conscientiaeque terrent.* Sed haud scio an Ciceronem ut hominem paganum Harmsius contemnat. Videat igitur, quid agat cum Paulo apostolo; qui nec

rationem humanam in doctrina de officiis, nec vim et iudicium conscientiae spernit, ita scribens ad Rom. II, 24. Ὅταν γὰρ ἔθνη τὰ μὴ νόμον ἔχοντα φύσει τὰ τοῦ νόμου ποιῇ, οὗτοι νόμον μὴ ἔχοντες ἑαυταῖς εἰσι νόμος, οἵτινες ἐνδείκνυνται τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις αὐτῶν συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συνειδήσεως, καὶ μεταξὺ τῶν λογισμῶν κατηγορούντων ἢ καὶ ἀπολογουμένων.

Quid autem sibi velit Harmsius, quum dicit illam, quam somniat, tentatam dei a tribunali deturbationem eo tempore accidisse, quo ecclesia nostra *excubiis* caruerit, equidem haud assequor. Num desiderat forte summum in ecclesia excubiarum praefectum (*einen geistlichen Generalobristwachtmeister*)? Habermus scilicet in ecclesia, quod deus prohibeat, vel dictatorem, vel inquisitorem haereticae pravitatis.

XIV.

Thesi XXIV. ut, quae post decimam quartam sequuntur, praetereamus, Harmsium legimus ista nobis narrantem:

Zwey Ort o Mensch hast du vor dir, hiefs es im alten Gesangbuch. In neuern Zeiten hat man den Teufel todtgeschlagen, und die Hölle zuggedämmt.

Nos

Nos quidem, qui diabolum occiderit, nefinem novimus, occidisse autem et interiisse diabolum, h. e. vanas de diabolo opiniones vehementer laetamur, idque grato animo Thomasiis, Farmeris, Semleris acceptum ferimus; omninoque totam de Satana s. diabolo fabulam e mythologia Iudaeorum in Christianam ecclesiam transiisse didicimus.

Ad infernum quod attinet, facile patimur superstitiosas de gehenna, de igne aeterno, opiniones a prudentioribus Theologis sublatas esse; ceterum iis lubenter assentimur, deum sapientissimum iudicem, tam recte factis praemia, quam peccatis et sceleribus hominum poenas etiam post mortem constituisse. At qui plura de poenarum ratione, loco, aut duratione scire se putat, ei vel ista Scholasticorum commenta de limbo patrum et infantum, de purgatorio recoquere licebit, vel dicat oportet quid illa figmenta ab Ethnicorum fabulis differant. Cicero quidem Tusc. dispp. V. *Dic quaeso inquit, num te illa terrent, triceps apud inferos Cerberus, Cocyti fremitus, transvectio Acherontis, mento summam aquam attingens siti enectus Tantalus?* etc. cui auditor respon-

det: *Adeone me delirare censes, ut ista esse credam?*

XV.

Thesi XXVI. querulam vocem audimus, sed *ζήλω τῷ εὐ κατ' ἐπίγνωσιν* expressam: *Zittern und beben muss man, wenn man bedenkt, wie gottlos, d. h. ohne Gott und dessen Furcht die Menschen itzt sind!* Quis quaeso sibi hanc de populi alicuius, aut certae cuiusdam aetatis pietate vel impietate iudicandi licentiam affectet?

XVI.

Quid sibi velit Harmsius, quum Thesi XXXVI. ita scribit: *Wer des ersten Buchstaben Religion, heisset: Heilig! mit seiner Vernunft mächtig werden kann, der entbiete mich zu sich.* Equidem mihi tantum non sumo, ut Rev. Harmsium Kilonia Halam evocem; idem tamen confirmo, me sanctitatis, h. e. verae pietatis humanae et Christianae notionem, non sensibus, non imaginatione, sed intellectu et ratione complecti. Neque vero intelligo qua ratione Petrus epist. I. 1. suis praecipere potuerit: *αὐτοὶ ἅγιοι ἐν πάσῃ ἀναστροφῇ γενήθητε, διότι γεγραπται Ἅγιοι γένησθε, ὅτι ἐγὼ ἅγιός εἰμι;* nisi se cum hominibus recta ratione utentibus, et quae sit ista *ἀγιοσύνη* intelligentibus loqui putasset.

XVII.

Sed unde omnia ista Harmsii decreta fluxerint, e Thesi XXXVII. intelligitur; ubi eum sic pronuntiantem legimus: *die Sprache ist so voll, und das Leben so reich an Dingen, die eben so entfernt von der Vernunft, wie von den leiblichen Sinnen liegen. Ihr gemeinschaftliches Gebiet ist das Mystische, die Religion ist ein Theil dieses Gebietes. Terra incognita für die Vernunft.* Agnoscimus igitur Harmsium pertinacissimum Mysticismi patronum, id eoque rationis contemptorem et adversarium. Quare contra negantem principia quum non sit disputandum, finem hic facimus, praesertim quum videamus de ea causa *Maertensium V. C.* in libro supra laudato p. 94. doctè et subtiliter disputasse. Neque vero dubito, quin omnibus, qui sensu communi utantur, planissime persuaserit, omnia quae in rationem humanam coniecerit Harmsius opprobria, verius in Mysticismum posse converti. *Der Mysticismus, inquit, ist es auch, den ganz eigentlich die Beschuldigungen treffen, mit denen des Hrn. Harms 95 Sätze die Vernunft verunglimpfen. Er ist es, der an die Stelle der wahren Lehre Jesu ein von Menschen nach ihren düstern Phantasien geformtes Machwerk setzt. Er weifs sich*

nicht allein ohne alle Kosten mit Vergebung der Sünden selbst zu bedienen, sondern spricht sich mit nur äußerlich geheuchelter Demuth innerlich für einen Heiligen aus, der nicht einmal der Vergebung bedarf. (Thes. 21.) Er sieht den Mond für die Sonne an. (Th. 33.) Er ists, der nicht weiß, was heilig heisst, sondern bey dem Worte in einem völlig gedankenlosen Gefühle zusammenbebt, und dies ein Wissen und Verstehen nennt. Er ists, der die Perlen aus der Religion wirft, und mit den Schalen, den hohlen Worten spielt, (Th. 43.) denn hohle Worte nennt man die, die dem Verstande keinen Begriff mitbringen, sondern nur wie hohle Gefäße einen dumpfen Klang geben. Der Mysticismus ists, der wie ein Rasender aus der lutherischen Kirche den lautern Geist Jesu und das wahre Wort Gottes vertreibt, und mit unermesslichem Dünkel ächte Weisheitslehrer für fade und trockne Wortmacher erklärt und auszischt. (Th. 71.) Und er ists, durch den die Verwirrungen in alle wichtigen Verhältnisse kommen, (Th. 82.) denn er löscht die Lichter aus, das alles durch einander und gegen einander rennt, und in seiner Dunkelheit ists jeder Tücke ein Leichtes, Scham und Zügel abzustreifen.

XVIII.

Quae quum ita sint, primum rationis principiis utamur necesse est, ut utrum necessaria fuerit immediata dei revelatio necne statuamus.

Cf. Loeffleri diss. *die Entbehrlichkeit des Glaubens an eine unmittelbare Offenbarung*, in eiusd. kleinen Schriften II. Th. p. 34.

XIX.

Deinde quae sint librorum codicis sacri argumenta, qui auctores, quae singularum sententiarum vis, omnibus philosophiae, linguarum orientalium pariter ac Graecae ex dialecto praesertim in libris N. T. usitata, artis criticae, denique historiae praesidiis, explorandum est, quae omnia sensim rectae rationis cultura, et amplificata virorum eruditorum studiis doctrina comparata esse scimus.

Quanti sint in his omnibus inde a seculo superiore usque ad nostram aetatem progressus facti neminem fugit. Quis enim in librorum V. T. interpretatione I. D. Michaelis, Telleri, Knappii, Doederleinii, Schnurreri, Pauli, Vateri, Iusti, Wahlhii, Gesenii, quis in crisi et exegesi librorum N. T. Ernestii, Semleri, Noesselti, Griesbachii, Mori, Knappii, Rosenmülleri, Eichhornii, Wegscheideri, quis in Theologia dogmatica Semleri, Telleri, Doederleinii, Loeffleri, Niemeyeri, Wegscheideri, Ammonii, quis in historia ecclesiastica Moshemii, Semleri, Schroeckhii, Plankii, Henkii, Spittleri merita ignoret?

Theologorum inprimis Halensium studia in Theologiam collata iustis laudibus nuper celebravit S. R. Nie-

meyerus noster singulari libello: *Die Universität Halle nach ihrem Einfluss auf gelehrte und praktische Theologie, in ihrem ersten Jahrhunderte seit der Kirchenverbesserung dem dritten*; qui quidem libellus, ut cetera viri praestantissimi scripta, illud ἀληθειῶν ἐν ἀγάπῃ undique spirat, quod idem in Wegscheideri nostri V. C. institutionibus theologiae dogmaticae benignam singulis locis auram afflare videmus. Quorum et similium virorum mitis sapientia, quantum praestet quorundam ζήλω, τῷ οὐ κατ' ἐπιγνώσει, nihil opus est admonere. Sapienter etiam nuper Theologorum recentiorum causam egit V. Cl. Krause, Prof. Regiomontantis in diss. qua quaeritur, utrum et quantum, quoque consilio theologi recentiores, qui omnem scripturae sacrae interpretationem ad rationem revocent a Lutheri mente, atque legibus, quas ille sequendas putavit, defecerint;

XX.

Sed ne plura consecemur, duas tantum Harmsii Theses XXXVIII. et XXXIX. commemoremus:

38. Die Vernunft ist genau ins Auge zu nehmen; denn sie geberdet sich und spricht oft, als wäre sie da gewesen, so herzlich, gemüthlich, gläubig, oder wie man es nennen will.

39. Gleichwie die Vernunft ihren Verstand hat, also hat auch das Herz seinen Verstand, nur einer ganz andern Welt zugekehrt.

Hic mihi libet exclamare: Omnium theologorum et philosophorum

Clamo, postulo, obsecro, oro, ploro atque imploro fidem!

ut adsint, cognoscant, animadvertant, qui sint illi *oculi*, quos Harmsius vult rationem nostram acriter observare; num forte sextum aliquem sensum noverit; quisnam sit ille intellectus, in corde, h. e. in voluntate, in facultate appetendi positus? Inprimis autem testor et obtestor collegas meos coniunctissimos *L. de Jakob, Maassium, Hoffbauerum, Tiefstrunkium*, ut quid de nova hac facultatum animi conformatione iudicandum sit, statuant. Mihi quidem sensu communi carere videtur.

Plura ne adiciam, libri supra laudati, me monent, quibus accessit lectio thesimum a V. Cl. Kleinio propositarum: „Ein und funfzig Sätze, nicht zur Belehrung für den Prediger Claus Harms, sondern zur Ermuthigung für die Verzagten, die durch seine Gespensterstimme erschreckt worden sind, aufgestellt von *Dr. F. A. Klein*;" in libro: Für Christenthum und Gottesgelahrtheit von *Pf. Schröter* und *D. Klein*, I. B. II. H. p. 251. Graviter quoque et eleganter S. R. Boysenius, Harmsii theses confutavit libello latine conscripto: XCV Theses Harmsii XCV thesibus oppositae a *I. Boysen* Reg. Dan. a Consil. Consist. Past. primar. Borsleth Holsat. equite Ord. Danaebrog. Tychopoli 1817.

XXI.

Quod reliquum est, si quis veteri doctrinae de supernaturali Christianae religionis origine inhaereat, non magis poterit rationis usu, nisi fanaticus sit, carere, quam qui divinam providentiam naturali via Christum et Apostolos ex-

citasse statuit ad meliorem et salubriorem religionis formam ac speciem hominibus commendandam.

XXII.

Utroque modo aeternus libris V. et N. T. honos constabit, sive eius auctores sensu proprio θεόπνευστοι fuisse perhibeantur, sive naturae praesidiis, a deo, omnium bonorum auctore, ad hoc munus instructi fuerint.

XXIII.

Libris symbolicis nullo modo potest ea auctoritas tribui, ut ab eorum placitis discedere nemini liceat. Neque tamen eos plane nunc inutiles esse dixeris, ideoque novas eorum identidem editiones parari, quales nuper Cl. Theologis, Tittmanno Lipsiensi et Mich. Webero nostro acceptas ferimus, vel usus historici causa conducibile est.

XXIV.

Idem de auctoritate Lutheri eiusque superiorum in reformanda publica religionis Christianae doctrina tenendum.

Cf. Cel. *Henr. Eberh. Gottl. Pauli*, Theol. olim Ienensis, nunc Heidelbergensis oratio in sacris Reformationis Lutheranae secularibus habita: *dafs Luther nur als Wiederhersteller des religiösen und wissenschaftlichen Geistes und Lebens, auch Reformator der Kirche nach Lehre und Leben wurde.* Heidelb. 1817. inprimis pag. 15.

COROLLARIUM

Animadversionum criticarum in Quintilian. Inst. Orat.
lib. VII — IX.

1.

Lib. VII. 1. *Sic explorandum est, ubi controversia incipiat, et considerari debet, quae primam quaestionem facit.* Iure hic locus offendit novissimum Editorem *Spaldingium*, virum egregium, cuius immaturam mortem nondum eluxi. Equidem mihi persuasi legendum esse: *et considerari debet, quid primam quaestionem faciat*; comparato loco *Ciceronis de Oratore lib. II. c. 30. Statim occurrit naturali quadam prudentia, non his subductionibus, quas isti docent, quid faciat causam, id est, quo sublato controversia stare non possit.*

2.

Lib. VII. c. 2. *De uno quidem maxime genere coniecturalium controversiarum locuti videmur, et in omnes aliquid ex his cadit. Nam furti, depositi, creditae pecuniae et a facultatibus argumenta veniunt: An fuerit quod deponeretur? et a personis: an illum deposuisse apud hunc vel huic credidisse credibile sit? an petitem calumniari, an reum inficiatorem esse vel furem? Sed etiam in furti reo sicut in caedis quaeritur de facto et de auctore.* *Spaldingio* verbum *furti* ante *depositi* videbatur insititium esse. Mihi illud

quidem genuinum, paullo post autem verba *vel furem delenda* videntur.

3.

Lib. VII. c. 3. 16. *Quid? quod nec uno modo definitur res eadem, ut facit Cicero: quid enim est vulgo? Universos, et latiore varioque tractatu. ut omnes oratores plerumque fecerunt. Legendum est: Quid? quod et uno modo verbo definitur res eadem, ut facit Cicero: quid est vulgo? Universos; et latiore varioque tractatu etc. Locus Ciceronis est in oratione pro Muraena, c. 35. Quid enim? Senatus num obviam ire crimen putat? — num locum ad spectandum dare? aut ad prandium invitare? minime. Sed vulgo, passim. Quid est vulgo? Universos.*

Lib. VII. c. 4. 25. *Sed alios quoque nonnumquam leges hae recipiunt status. Nam et coniectura est aliquando in plerisque horum, quum se vel non fecisse vel bona mente fecisse contendunt. Cuius generis exempla sunt multa. Et quid sit dementia ac mala tractatio, finitur. Nam iuris quaestiones plerumque leges praecurrere solent, et ex quibus causis non fiat, statutum. Quod tamen facto defendi non potuit, iure nitetur. Et quot et quibus causis abdicare non liceat et in quae crimina malae tractationis actio non detur, et cui accusare dementiae non permittatur.*

Hunc locum, quo in expediendo nec Gesneri nec Spaldingii rationes mihi satis fecerunt, sic arbitror esse constituendum:

Sed alias quoque nonnumquam LITES hae recipiunt status. Nam et coniectura (i. e. status coniecturalis) est aliquando in plerisque HARUM (sc. litium s. causarum) quum se — multa. Et quid sit dementia aut mala tractatio finitur, (h. e. definitione explicatur, quae constitutio dicitur definitiva Cic. de Inv. II. 17.). Quod tamen f. d. n. p. iure nitetur. Nam iuris quaestiones (i. e. eae quibus continetur constitutio iuridicialis ibid. II. 23.) plerumque leges praecurrere solent (scil. antea latae) et ex quibus causis non fiat ALIQUID, statutum; UT: quibus causis abdicare non liceat, et in quae crimina malae tractationis actio non detur, et cui accusare dementiae non permittatur.

Lib. VII. 4, 36. Male gestae legationis apud Graecos et veris causis frequens, ubi iuris loco quaeri solet, an omnino aliter agere, quam mandatum sit liceat? et quousque sit legatus? quoniam alii in renuntiando sunt; ut in Heio qui testimonium in Verrem dixerat post perlatam legationem. Corrupta hic sunt verba: quoniam alii in renuntiando sunt; et sine dubio legendum: quoniam alii re nuntiata fiunt. Sic Heius Mamertinus, cuius e sacrario Verres signa abstulerat, tamen missus erat Romam legatus ad Verrem publice laudandum. Itaque fecit; publice laudavit Verrem; ita enim mandatum atque imperatum erat. Sed peracta hac laudatione non amplius legatum se putabat, sed ALIUS factus, i. e. privatus, privatim ad iudices confugit, dixitque se sacra maiorum suorum a Verre repetere.

Lib. VIII. proem. §. 9. *Iudicialium causarum alias in singulis, alias in pluribus controversiis consistere, et in quibusdam sufficere modo intentionem, modo depulsionem.* H. l. verbum *sufficere* aptum quidem sensum praebet nullum; nec dubito quin legendum sit: *et in quibusdam statum facere modo intentionem modo depulsionem* coll. lib. III. 6. 16. „concedamus ex depulsione nasci statum. Nihilominus enim res eo revertetur, ut modo is qui agit, (scil. intentione) modo is cum quo agitur (scil. depulsione) statum faciat.“ Sed legenda etiam sunt quae proxime ibi sequuntur.

Lib. VIII. proem. §. 29. *Alioqui, sicut qui patrimonium non pararunt, subinde quaerunt, ita in oratione qui non satis laborarunt.* Spaldingio hic placebat legi: *alioqui — non pararunt, sub diem quaerunt victum, ita in oratione qui non satis laboravit, verba desiderabit.* Equidem sufficere opinor, si corrigamus: *ita verba in oratione* (scil. quaerunt) *qui non satis laborarunt.* Necessario autem inserendum est illud *verba*, quia statim subiungit Quintilianus: *Si praeparata vis dicendi fuerit, erunt in officio* (scil. *verba*) etc.

Lib. VIII. 3. *Est et amarum quiddam, quod fere in contumelia est positum, quale Cassii: „Quid facies, quum in bona tua invasero?“* Hoc est quum te docuero nescire maledicere. Verba hoc est quum te d. n. m. non sunt ut opinor, Cassii Severi verba, sed potius Quintiliani, qui amarum illud Cassii dictum interpretatur, coniectum scil. in hominem maledicum,

quem negaverat Cassius artem male dicendi, qua delectabatur, satis callere.

Lib. IX. 3. ubi agitur de figura iterationis sine dubio Quintilianus scripsit: *Fit casibus mutatis hoc schema quod πολυπτωτον vocant; ubi nunc legitur: fit casibus modo hoc schema.* Deinceps in verbis: *constat et aliis etiam modis*, quae structura iure Spaldingium offendit, legerim: *constat et aliis iteratio modis.*

Ibid. paullo ante: IX. 3, 18. 19. *Et detractiones quae in complexu sermonis, aut vitium habent aut figuram; ut „Accede ad ignem hunc, iam calesces plus satis“ (e Terentii Eunucho I. 2, 5.); plus enim quam satis est.* Sensus est: illum locum esse exemplum detractionis vitiosae, quia non *plus satis*, sed *plus quam satis* verum sit. Ideoque haud scio an Quintilianus ita scripserit: *ut: „Accede — plus satis“ est in vitio; plus enim quam satis verum est.* Quae statim sequuntur: *nam de altera quae detractione pluribus adiciendum est; ita corrigenda sunt: nam de altera (scil. figura) quae detractione fit, pluribus dicendum est.* Hic nimirum respiciuntur ista quae infra dicuntur IX. 3, 58. *At quae per detractionem fiunt figurae etc.*

Lib. IX. 3, 46. de pleonasmo: *Verum id, quum supervacua oneratur adiectione, vitium est, quum auget manifestam sententiam, sicut hic, virtus. Pro oneratur legendum onerat.* Nam pleonasmus non *oneratur*, sed *onerat* sententiam supervacua adiectione.

Lib. IX. 3, 49. in verbis e quadam Ciceronis oratione, ut recte Gesnerus coniecisse videtur, Metellina, allatis pro vulg. *sublata, delata, exstincta*, vel legendum est: *sublata, deleta, exstincta*; vel *delata, sublata, exstincta*.

Lib. IX. 3, 61. *Ego ne illud quidem aposiope-
sin semper voco, in quo res quaecunque relinquitur
intelligenda, ut ea quae in epistolis Cicero „data
Lupercalibus, quo die Antonius Caesari, „non enim
obtuit aut lusit, quia nihil hic aliud intelligi po-
terat, quam hoc: „diadema imposuit.“* H. I. Spal-
dingio assentior, qui cum cod. Ambr. 1. legendum cen-
set: *ut aequae in epistolis Cicero*; nam iam paullo ante
epistolas Ciceronis ad Brutum excitaverat. Quod au-
tem Spaldingius negat in promptu esse dicere, quid sit
data, ideoque inter duas coniecturas fluctuat, id secus
interpretor. Nimirum, ut opinor, haec verba fuerunt
in subscriptione epistolae, ipso illo die datae, quum Lu-
percalibus, h. e. XV. Kal. Mart. A. U. 709. Antonius,
ipse Lupercus, Caesari diadema imponere ausus esset.
Cic. Philipp. II. 34.

Lib. IX. 3, 68. *Non ex eodem, sed ex diverso
vicinum accipitur, quum supplicio afficiendum dicas
quem supplicatione dignum iudicaris.* Acute sensit
Spaldingius hanc structuram et nexu cum prioribus et
verbum significatione laborare. Agitur de ἀντανakλέ-
σεως figura, i. e. eiusdem verbi contraria significatione;
ut quum Proculus quereretur de filio, quod is mortem
suam *expectaret*, et ille dixisset *se vero non exspe-
ctare*. Immo inquit, *rogo expectes*. Iam sequuntur

ista verba, quibus veram vim et sensum restituimus, ita corrigendo: *Non ex eodem sed ex vicino diversum accipitur* etc. Supplicium et supplicatio sunt verba vicina; si quis igitur dicit aliquem *supplicio* afficiendum esse, et vult intelligi, eum *supplicatione* dignum esse, utique non ex *eodem* (ut antea ex repetito verbo *expectare*) sed potius ex vicino (*supplicatio*) diversum accipiendum est; h. l. enim *supplicium* non pro poena capitali, sed pro *supplicatione* accipiendum. Veteres enim Romani *supplicia* dicebant pro *supplicationibus*, qui vocabuli usus postea exolevit.

In verbis IX. 3, 75. *Aut certe par est extremis syllabis consonans: „non verbis sed armis“* difficultas a Spaldingio notata expeditur, si vocabulum *par* non adiectivum, sed substantivum (*ein Paar*) esse ponamus; ut post *par* ex antecedentibus intelligatur *verborum*. Est enim hic *par* vocabulorum, *verbis* et *armis*, quod extremis syllabis consonat.

Ibid. §. 77. *Secundum ut clausula similiter cadat, vel iisdem in ultimam partem collatis ἑμοιοτέλετον similem duarum sententiarum vel plurium finem: „Non modo ad salutem eius exstinguendam, sed etiam gloriam per tales viros infringendam.“* Huic loco ita subveniendum est, ut verbum *ἑμοιοτέλετον* perperam transpositum post verbum *Secundum* ponatur, et pro *vel iisdem* quod iam Spaldingio in mentem venit, legatur *Syllabis iisdem*.

Ibid. §. 79. In exemplo e Domitii Afri oratione: *A misso nuper infelicis aulae, si non praesidio in-*

ter pericula, tamen solatio inter adversa, pulchre vidit Buttmannus V. C. transponenda esse ultima verba sic: tamen inter adversa solatio. Aliter enim non conveniunt, quae proxime sequuntur: Eius fere videntur optima, in quibus initia sententiarum et fines consentiunt, ut hic praesidio, solatio.

Lib. IX. 4, 13. *Quod si numeris ac modis inest quaedam tacita vis, in oratione est vehementissima. Vox tacita hic Spaldingium offendere non debebat. Illustratur enim verbis quae §. 10. praecesserunt: Neque enim aliter eveniret, ut illi quoque organorum soni, quamquam verba non exprimunt, in alios tamen atque alios motus ducerent auditorem. Haec igitur ipsa est numerorum ac modorum tacita vis, quod sonant quidem, sed tamen non loquuntur, nihil significant, quod vim cogitandi afficiat.*

Corrigenda.

- pag. 4. lin. 10. pro *vero* l. *vere*.
— 7. — 11. pro *firmores* l. *firmiores*.
— 9. — 17. pro *vidii* l. *vidi*.






Tg 1508
S

ULB Halle

3

008 869 324





THESES
RATIONI HUMANAЕ
IUSTAM
IN RERUM DIVINARUM COGNITIONE
AUCTORITATEM
ASSERENDI CAUSA
PROPOSITAE

QUAS

B. C. D.

CHRISTIANUS GODOFR. SCHÜTZ

ELOQUENTIAE P
IN ACADEMIA FRIDE

AMPLISSIMO P
COLLATORUM
PHILOS. DOCTO
HONORUM

A. D. XXI.

IN AUD

D

ASS

CAROLO

SEMINARI

TYPIS LEO

